f. 14

DE RETINENDO
LATINAE LINGUAE
STUDIO ET USU

ORATIO

CAJETANI TONOLLII

HABITA

EXEUNTE ANNO SCHOLASTICO MDCCCXLVI.

NUNC AUTEM PRIMUM EDITA ET NOTIS AUCTA
AC IN ITALICUM SERMONEM CONVERSA.

VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA JO. BAPT. MERLO.

MDCCCL.

Digitized by Google

268

Digitized by Google

VIRO . EXIMIO

DEQVE . STVDIIS . PRAESERTIM . PHILOSOPHICIS

OPTIME . MERITO

CAIETANO . MODENA

SVPREMO . GYMNASIORVM . IN . VENETIS . PROVINCIIS

I . R . MODERATORI

CAIETANVS . TONOLLIVS

HVMAN . LITTERARVM . PROF

OFFICII . ET . OBSERVATIONIS . ERGO

HOC . QVALECVMQVE . OPVSCVLVM

OFFERT . ET . INSCRIBIT

Digitized by Google

ORATIO.

Digitized by Google

272

Digitized by Google

MULTA STUDIORUM GENERA
LATINAE LINGUAE NOTITIAM POSTULARE
NULLUM EJUS UTILITATEM RESPUERE.

Neminem ignorare arbitror, ornatissimi ac doctissimi litterariae Reipublicae viri, sic vel natura, vel fati nescio cujus conditione comparatum esse, ut cum omnibus in rebus, tum praecipue in litterarum, optimarumque artium studiis sui cuique saeculo mores semper extiterint. Graecos quondam omnis cultus, et humanitatis parentes modo litterarum, modo philosophiae studiis floruisse compertum est, modo utroque simul genere laudis enituisse. Romanorum autem in re litteraria, liberalibusque studiis quam varia, quam multiplex extitit pro temporum, ac saeculorum varietate sollertia! Principio quidem Romani illi veteres quemadmodum armorum disciplina, morum gravitate, vitae constantia Graecis facile antecellere videbantur; ita doctrinarum

274

praestantia, ac orationis ornamentis, omnique prorsus elegantiore cultu caruerunt. Exortum est aureum illud tempus, quo tempore non virtutis modo bellicae splendore, sed omni plane liberalium disciplinarum studio Romani nominis gloria per universum terrarum orbem effulsit, quamque laudem uni sibi Graecia jure videbatur vindicare, eam domina Gentium Roma vel obnubilavit, vel eripuit. Quos tunc, Dii immortales! principes viros mirata est Roma in subselliis, in foro, in rostris, in curia! Quam ampla, quam splendida, quam magnifica species orationis in omni Reipublicae parte versata est! Quam multa, quamque praeclara cujusvis artis, eruditionis, doctrinae, jam tum sunt nobis ingenii relicta monumenta! Quot Oratores, ac Rethores, quot Historici, atque eruditi, quot Philosophi, ac Poetae nobilissimi extiterunt! quorum omnium industria, ac prope divina ingenia non sane dici potest, quantum et sibi, et Romano nomini laudis pepererint, et totius posteritatis eruditioni doctissimis lucubrationibus consuluerint! Verum labente aetatis cursu Romani sicuti in rebus plerisque mores, ita dicendi mutaverunt genus, quemadmodum queritur Quintilianus (*Inst.*

Digitized by Google

Lib. II, Cap. VI.), atque aurea illa latini sermonis, omnisque eruditionis aetas sensim quasi adulterari, et ex aurea in argenteam commutari coepta est. Denique ipsa quoque argentea aetas haud multo post evadere visa est in aeneam, rursusque aenea in ferream desiisse, dum tandem barbarorum irruptione ita turbata, atque immutata sunt omnia, ut novum quoque deinde sermonis genus exortum sit, quod saeculo tandem post Christum natum decimo quarto ad perfectam quamdam, suisque numeris absolutam formam aliquibus visum est pervenisse. Videtis, opinor, viri doctissimi, cujusque aetatis in re litteraria mores, studia, disciplinam. Saeculo quidem decimo quarto litteratorum hominum haud ita paucorum enituit industria, philosophorum autem (Dantem si excipias qui et poeta et philosophus), longe exiguus fuit et numerus, et splendor doctrinae. Decimo quinto ut litterarum, sic Philosophiae nihilo majori in pretio habita sunt studia. Decimum sextum contra ita floruit, ut altera studiorum omnium, ac italici, latinique sermonis aurea aetas jure meritoque dicatur. Duorum vero subsequentium saeculorum quam dissimilis est ratio! quorum altero ut quisque lit-

276

teris imbutus maxima monstra loquutus esset, saepiissime ineptiisset sententiam plus nimio inflasset, *nubes*, ut Horatius inquit, *et inania captasset* (*In arte poet.*) ita maxime eo probabatur ac plurimi fieri solebat; altero autem ita disciplinae, litteraeque omnes excultae, temperatae, auctae, illustratae sunt, ut innumerabiles viri in omni doctrinarum genere et judicii acumine, et ingenii celeritate, et inventorum splendore praestantissimi claruerint, quorum incredibili industria mirum, quantum scientiae, atque omnia Philosophiae studia progressa sint; ut jam tantae illi suorum temporum felicitati clarissimus vir Facciolatus elegantissima oratione merito sibi gratulandum arbitraretur (*Orat. XV. de litterar. et artium felicitate*). Nostri autem hujus saeculi quosnam in studiorum ratione mores esse dicemus, quos usus, quasnam disciplinas? O miseram hujusce aetatis in re una magni momenti conditionem! O tempora, nisi Deus aliquis respexerit, non scientiis, non litteris in universum, non bonis artibus, sed latinis tantum litteris calamitosa? Neque enim inficior profecto, viri doctissimi, scientias in primis, Physicam, Mathesim caeterasque facultates cum magno in pre-

Digitized by Google

tio esse, tum vero non mediocriter excoli, et augeri, litterarum autem studium non modo non negligi, sed maxime vigere; non inficior extitisse modo, et existere doctissimos viros, qui de recta puerorum institutione sapienter et accuratissime scripserunt; non inficior plurima fuisse in Lyceis, in Gymnasiis, in scholis omnibus a Magistratuum cura sapienter, utiliterque statuta; verumtamen quis doctus, sanoque judicio praeditus non vehementer commoveatur, atque ingemiscat, quoties reputet, non alia quidem, quam communis cujusdam socordiae, pravaeque consuetudinis culpa adeo latinitatis studium, quo bonae litterae vigent, et pars maxima eruditionis innititur, hoc tempore ab Italis praesertim negligi, ignorari, contemni solere, ut numquam ante aliàs magis neque neglectum, neque ignoratum, neque contemptum fuisse videatur? Quis id non doleat? quis patiatur? quis ferendum ducat? Quapropter nemo, obsecro, mihi succensendum putet, si solo litterarum amore ductus, earumque pro mea virili parte tuendarum desiderio incensus, hodierna luce adversus praeposteram istam, ac deplorandam aetatis nostrae consuetudinem ad dicendum aggrediar, latinasque litteras, quan-

tum est situm in me, e squalore, situque in lucem vindicare contendero, vosque omnes, viri ornatissimi, ac studiosae potissimum juventutis animos non ad retinendum modo latinae linguae usum, sed parandum etiam inflammavero: atque ut statim in eo ipso, ad quod vos toto pectore cohortor, ipse possim omnibus esse exemplo, dabitis mihi, opinor, libentissime hanc veniam, ut ad eam, quam instituo latini sermonis defensionem latinum dicendi genus adhibeam, praesertim cum nihil magis, ut mihi quidem videtur, conveniat, ac deceat quam pro latinae linguae causa dicentem coram viris praesertim doctissimis latine dicere, ac disputare.

Principio igitur sic statuendum puto, atque contendo, ad litteras non dico augendas, aut illustrandas, sed feliciter conservandas tantummodo, ac retinendas ita latinam linguam excoli oportere, ut qui vel hujusmodi studia profitentur, vel eis ex instituto sunt addicti non ad aliquam modo latini sermonis intelligentiam quippiam laboris, atque operae conferant, verum etiam nonnumquam in latine tum dicendo, tum scribendo naviter se, diligenterque exerceant. De scientiis

vero ita sentio, ut earum nonnullis latinae linguae cognitionem sane quam necessariam asseram, nonnullis si non penitus necessariam, certe valde utilem. Quanti autem litterarum intersit latinitatem intelligi, planeque cognosci, facile cuique liceat intueri, si modo quaenam studiorum omnium sint capita, quinam fontes, serio animadvertat. Utilitate ne enim latinae linguae ducimur, an dignitate? Duobus namque potissimus hisce rerum momentis omnes actiones suas quisque metiri solet, atque dirigere. Ac de dignitate quidem nolo in praesentia disserere (1): neque enim est id mihi propositum; quod si esset, tamen facillime evincerem, tantam esse hujus linguae dignitatem, quantam haud scio, an ullum aliud sermonis genus praeseferat. De utilitate vero quam multa, Deus immortalis, quam gravia mihi dicenda ante oculos obversantur! Quis est tam ignarus rerum, quin se uberrimos fructus ex hujus linguae studio percipere posse confidat? Quae ars, quod studium, quae disciplina, quae vitae ratio latinitatis vel caret, vel non indiget auxiliis? Referte animum, viri doctissimi, ad singulas studiorum, vitaeque rationes: profecto sic reperietis, plurimas quidem studiorum, nonnullas

Digitized by Google

240

vitae rationes sine latinae linguae studio, atque adjumento consistere non posse; quae vero studii hujus commoda, atque utilitatem vel non percipiant, vel respuant, propemodum nullas. Enim vero quam multa, quamque praeclara latinis consignata sunt litteris, quae ad universas pene vitae, studiorumque rationes pertineant? Est aliquid certe, ac multum potius, vel etiam plurimum laudis, quod Italicis quoque hisce nostris litteris, ingeniisque tribuendum sit: non diffiteor. Oratores nostros habemus; fateor, dummodo tamen M. Tullio: Poetas; non inficior, dummodo tamen Virgilio, Horatio, Ovidio: Historicos; concedo, dummodo tamen Livio, Sallustio, Tacito fasces submittere non renuant. Perfecti ne igitur oratoris laudem consequi cupis? Qui poteris, nisi egregia hujus artis praecepta tum ex Cicerone, tum praecipue ex Quintiliano, aliisve recentioris aevi scriptoribus studiose didiceris, quorum plerique latino sermone usi sunt, atque in primis eximias M. Tullii orationes divinae scilicet cujusdam eloquentiae absolutissima exempla diligenter pervolutaris, tibique imitandas proposueris? Egregius sane eloquentiae praeceptorum tradendorum Magister Laurentius Serra

Digitized by Google

(*In Praef. ad Concion.*) non dubitanter asseruit, tum demum ipsos sacros Oratores in permovendis animis posse excellere, si ad vitae sanctimoniam, sacramque eruditionem Tullianarum orationum studium ita adjunxerint, ut in perlegendis, imitandisque praecipue ipsius Tullii perorationibus plurimum operae, ac laboris posuerint. Quod quidem ipsum sensisse et duo illa eloquentiae lumina, ac Societatis Jesu clarissima ornamenta Segnerum, et Pellegrinium, exploratissimum est: quorum alterum Ciceroni plurimam dedisse operam, divinamque illam eloquentiam in succum, ac sanguinem convertisse suum cum ex ejus vitae historia, tum praecipue ex sacris ipsius concionibus perspici potest: alterum vero, cujus eloquentiae majestate (utut blaterent nonnulli) an quicquam fieri possit illustrius non facile dixerim, ita Ciceronem prae oculis habere solitum constat, ut ejus lectionem cuicumque vel sacrae eloquentiae studioso vehementer commendaret. Poetae ne laudem affectas? Qui poteris plenam, ac solidam poetae laudem adipisci, nisi summis illis poeseos magistris, latinis praesertim, *operam* dederis? Non inficior, oratores fieri, ut *ajunt*, poetas nasci: non inficior multos et egre-

242

gios, et maximos extare Italos poetas. Verum quis mihi, nisi insaniat, non concesserit, poetas quidem natura nasci, sed arte perfici? Italos poetas sequutos esse veteres, latinos in primis, passimque occurrere apud eos sedulae horum imitationis exempla: turpissimum proinde videri vel inclyto ex natura poetae, nisi forte velit nugigeruli, aut blateronis tantummodo laudem captare, veram, solidamque gloriam respuere, ipsos ita ignorare fontes, primosque Magistros, et rectam styli poetici sibi comparandi rationem, quam sitam praecipue in latinitatis notitia censet clariss. Monti (2), ut si quid forte aut inscitiae, aut invidiae causa illi exprobretur, ad confirmandam sententiam suam nullis ipsorum exemplis uti sciat? At enim historiae scriptor quam sibi latinitatis peritiam comparandam putet? Fateor, qui parvulam quamdam sui temporis historiam conscribere meditetur, ei non multum admodum latinitatis studium necessarium videri; at si quis hujusmodi scribere aggrediatur historiam, ut magna illi eruditione, veterumque temporum cognitione sit opus, quis non perspexerit, latini sermonis notitiam ei apprime necessariam fore? Deinde, qui historiam licet haud ita ingentem in lu-

Digitized by Google

cem edere cogitat, nisi tamen velit hujuscemodi fabellas, inanesque narratiunculas confingere, quarum ea demum digna merces sit: *et thus; Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis* (*Horat. Epist. Lib. II. Ep. I.*); quomodo sibi enitendum non intelligat, ut lucubrationes suas ad veterum excellentium historicorum exemplum, ac normam exigere, atque conformare queat? Quod ut possit efficere, haud parva profecto latini sermonis cognitio omnino requiritur. Quid autem de rerum antiquarum investigatione, deque ea, quae tam late patet, eruditione dicam? Quae certe, quod nemo nescit, aut nusquam, aut nonnisi in veterum linguarum, ac latinae praesertim cognitione posita est. Quod si a litterarum studiis ad philosophica progrediamur, paucas profecto Philosophiae partes invenimus, quae aditum ad sublimium, maximarum, abstrusarumque rerum notitiam latinae linguae ignaris recludant. Quotus enim quisque, praeter Suavium, aliosque recentiores, quà de logicis, quà de methaphysicis rebus, aut etiam moralibus superioribus saeculis Italice scripsit? Patet igitur luce clarius, quantae utilitati Metaphysicae, et Ethicae studiosis latinitatis cognitio futura sit.

254

Neque vero diffitendum, amplissimas facultates Physicam, et Mathesim sine latinitatis adjumento non mediocriter a quoquam posse percipi, ut quae et commodius fortasse vernacula lingua tradantur et jam pridem id fieri consueverit, quarum proinde scientiarum studiosis latini sermonis cognitionem plane necessariam mehercule non ausim dicere, utilem quidem certe. Exquisitiorem enim ullam, amplioremque vel in hisce studiis eruditionem sine ulla latinitatis notitia haud facile acquiri posse arbitror: tametsi enim jam plerique harum facultatum scriptores, ac Magistri, recentiores praecipue, aut italice scripserint, si Itali; aut certe in Italicum, si alienigenae, quo vulgo utimur, sermonem redditi sint; non desunt tamen plurimi, qui latino vel semper, vel plerumque sermone usi nec italice quidquam scripsere, nec in italicum sermonem redditi sunt, uti Clavius, Keplerus, Carthesius, Tacquettus, Camettus, Wolphius, Boerhaavius, Muschembroekius, Volta, atque ipse, ni fallor, omnium facile princeps Newtonus: quos omnes, aliosque bene multos latine plurima scripsisse nemo ignorat, lucubrationes vero eorum aliquas fortasse italice fuisse redditas alii viderint, omnes

quidem profecto haud scio. Deinde quisque mehercule videt arctissimam illam, quae hujusmodi disciplinis cum coeteris studiis intercedit, conjunctionem, quasique affinitatem: quod si in caeteris quidem studiis nemo unus, qui latine prorsus nihil sciat, vere doctus habendus, sed scitulus tantum, ac semidoctus a sapientibus omnibus, cordatisque viris merito censetur; quidni idem quoque omnibus istis Mathematicarum, Physicarumque facultatum studiosis usu venire dicendum sit? At si medicinae, aut juris, legumque studiosis, quam sit latini sermonis necessaria aut saltem utilis cognitio, animadvertamus, facile intelligimus, Medici, aut juris periti nomine indignos prorsus habendos, qui latinitatis cognitione careant. Nam Medici quidem, velint, nolint, plerosque artis suae libros latine exaratos evolvant necesse est: neque profecto arbitror inveniri posse quemquam adeo sanae mentis expertem, qui sine latinae linguae notitia ullum praestantissimum fieri posse Medicum putet. Modo enim nolit, quisquis medicinam profitetur, recentioribus istis tantummodo de re medica scriptoribus, et quidem fortasse non innumeris navare operam, quorum lucubrationes aut itali-

286

ce scriptae sunt, aut in italicum jam conversae sunt sermonem; modo congruam sibi ac necessariam eruditionem comparare non renuat; mehercule latinam linguam calleat oportet. Cum enim latinus sermo cujusvis fere nationis litteratorum hominum proprius semper ac familiaris fuerit; plerique medici, antiquiores praecipue, ut suas maximi momenti doctrinas in omnes gentes evulgarent, latine scripsere. Quid vero dicendum de Medico, cui sit latinus sermo peregrinus et alienus, qui, quemadmodum contingere nonnumquam potest, si sors obtulerit, ut aliquam de singulari quodam casu doctrinam haurire haud facile queat ex suis illis, quos unice diligit, Libris, cogaturque latinos aliquos adire codices, aut nihil, aut parum intelligere possit, aut, quod longe pejus, rem non recte percipere! O miserrimum aegrotum, cui talis sinistro ac teterrimo quodam fato contingat Medicus! Nam, ut est arrogans plerumque hominum genus, Medicos alios se peritiores nimium gravabitur consulere, ac denique ita se geret, ut appositissime in eum congruere posse videatur Graecum illud lepidissimum Epigramma:

Digitized by Google

Judicis est satius, mactat qui jure latrones,
Gennadii in medicas quam cecidisse manus:
Ille pie occidit fures: hic dirus et aurum
Accipit, et Stygium cogit adire lacum.

Neque enim fieri potest (ut ut opinentur nonnulli) ut uno tantum sub systhemate omnes omnium generum morbi curentur, diversaeque corporum temperationes tractentur, penitusque illud medicinae genus excludatur quod ad artis eruditionem potius, et ad Empyricos, quam ad scientiae systhema pertinet: cum de quibusdam medicinae phaenomenis absoluta adhuc ratio a quantumlibet doctis medicis reddi omnino non possit. Singulari quidem casu (fateor) illud tantummodo contingere potest: contingere tamen potest. Eritne igitur qui nonnullam latinitatis cognitionem medicis omnino supervacaneam putet neque utilem saltem? Non ita quidem sensere clarissimi quique medicae artis viri: non ita recentiores medici praestantissimi, quos honoris causa nomino, Targa, et Manzonius veronenses, Morgagnus, Scarpa, aliique quos latinae linguae intelligentissimos fuisse satis eorum ingenii mo-

258

numenta declarant. At enim, dicet aliquis, eâdem ratione intererit, Graece quoque ut medicus, aut Gallice, aut Germanice, non modo Latine sciat. Quidni? non repugnaverim, si ita placet; modo ei ante omnia non inutilem latinitatis notitiam omnes fateantur. Venio ad Jurisperitos: quos etiam si quis latinitatis cognitione non incommode carere posse dixerit, nescio an is asserat, Pictori quoque graphidis, colorumque miscendorum scientiam supervacaneam videri posse. Quid enim, quaeso, Jurisperiti nomine intelligimus? Aliquem ne ex istis rabulis, qui unum (neque eum ipsum penitus, aut recte) civilium legum codicem noverint ejus regionis, in qua versantur, praetereaque nihil, quorum illa praecipua sit laus venalem habere vocem, causasque ita implicare, stultisque, et iniquis cavillationibus miscere, ac protrahere, ut non Justitiae, aut clientum utilitati, sed turpissimo tantum lucro suo in primis prospiciant, et quod assequi doctrinâ nequeunt, quaerant injuriâ? an vero doctos, prudentes, eruditos, eloquentes, sapientes viros, qui non solum legum regionis suae codicem probe noverint, verum etiam vastissima juris utriusque scientia, Romanarumque in primis legum notitia ita sint imbuti,

Digitized by Google

ut quorumlibet disceptantium consultationibus sapienti responsione e vestigio possint satisfacere? At si talem, ac tantam in jureconsulto doctrinam requirimus, quomodo latinae linguae scientiam eidem supervacuam censeri posse dicemus? De rei autem politicae studiosis idem sentiendum, et dicendum nemo ibit inficias. Quod si quis (ut mea modo ulterius progrediatur oratio), Clericali militiae nomen dare, sacraeque Theologiae curriculum, caeteraque Ecclesiastica studia aggredi constituat, nec sane dici potest, nec profecto refert, quam sit ab eo hujusmodi requirenda cognitio. Sacrae Scripturae, Ecclesiasticae historiae, Liturgiae, Canonum, sacrae Eruditionis, Sanctorum Patrum studia, aliaque id genus, in quibus omnibus quam diligentissime Clerici versari debet industria, satis id ac luculenter evincunt, nec plane quisquam est, qui revocare soleat in dubium. Sapientissime idcirco Tridentina Synodus requirit (*Sess.* 23, *Cap.* 2.), ut Clerici vel minoribus ordinibus initiandi latinam saltem linguam intelligant. Videtis, opinor, viri doctissimi, quanti litterariae totius Reipublicae intersit, latinum sermonem intelligi, penitusque cognosci. Neque vero illud mihi velim obtrudi (quae qui-

290

dem praepostera opinio omnium fere mentes pervasit), satis esse litterariae Reipublicae, si latinus sermo a multis cognoscatur: caeterum ut aut dicendo, aut scribendo adhibeatur, plus postulari, quam quantum praestari vel necesse sit, vel conveniat. Facile id ac libenter concederem, si alia forte, atque ea latine scilicet aliquid loquendi, et scribendi ratione id ipsum, quod adversarii cupiunt, fieri posse cernerem. Verum, si quidem omnia servat, auget, perficit usus; manifesto patet, quô latinae linguae studium vigere possit, ac florere, non modo necesse esse, ut sedulam latinis scriptoribus dent operam studiosi adolescentes; verum etiam nonnulli e litteratorum coetu existant viri, qui ad excitandum, fovendum, servandum, tuendum, ad usumque deducendum hujusmodi studium latinae quippiam identidem et loquantur, et scribant. Hic usus si diligenter servetur, quis non perspiciat latinitatis cognitionem longe lateque diffusum iri; si vero penitus in desuetudinem abierit, magno cum studiorum detrimento paullatim magis magisque imminui, ac denique subeunte socordia, et in ipsis Latii scriptoribus tractandis negligentia funditus tolli oportere? Qui usus, quae exercitatio

vix dici potest, quantum contra utilitatis, si nonnunquam abhibeatur, quantum decoris, quantum incrementi cum omnibus aliis studiorum generibus, tum vero etiam Italicae linguae sit allatura. Neque enim sane video, quomodo quisquam possit vel Italicae linguae intelligentissimus fieri sine ulla latinitatis notitia. Nonne latina lingua Italicae tamquam mater habenda est? Negligendam ne igitur omnino matrem putabimus, filiam tantummodo excolendam, amandam? Quomodo autem filiam funditus nosse poterimus, nisi quoquo saltem modo noverimus matrem? Quomodo vocabulorum quorundam vim percipiemus, si, unde hausta sint, ignoraverimus? Praeclare Carolus Sigonius eloquentissimus, elegantissimusque scriptor idem argumentum, sed feliciori tempore pertractans (*Orat. de retin. Latin. Ling.*): *Placet*, inquit, *sermonem nostrum ab inopia vindicari? recte placet, non enim ego voluntatem reprehendo, sed judicium in voluntate desidero. Confugiat haec lingua recentior ad illam veterem quasi parentem suam. Vult locupletari? inde opes accipiat: sapere? inde prudentiam hauriat: exornari? inde pigmenta colligat, et artem discat illustrandi: denique si*

292

fructum quaerit, praestantiores ab ea fructus, quam a se ipsa expectet. Quapropter omnes plane videmus, qui Italicae linguae intelligentissimi ei vel expurgandae, vel expoliendae, vel amplificandae allaborantes scriptores clarissimi hoc nostro aevo extiterunt, Antonium Caesarum, Carolum Bottam, Vannettium, Montium, Jordanum, Manzonium Mediolanensem, Pindemontium, Perticarium, Barbierium, aliosque multos latini semper sermonis studio plurimam dedisse operam, ejusque tum loquendi, tum scribendi, ubi opus esset, fuisse peritissimos. Neque vero tantum latinae linguae, veterumque scriptorum studio tribuendam duxerim, ut Italicum sermonem, recentioresque scriptores negligamus, contemnendosque putemus, quod quidem cum piaculo gravissimo, tum insigni stultitia carere non possit. Versatur mihi ante oculos, atque insonat auribus gravis illa Juvenalis querela: *omnia graece, Cum sit turpe magis nostris nescire latine* (*Sat. VI.*), qua romanos acriter arguit, qui, aliena capti lingua, sua interim incuriose uti coeperant. Mehercule si idipsum adhuc usuvenire cernerem, et ego indignabundus clamarem: omnia latine, cum sit turpe magis nostris nescire italice. Verum

cum longe secus videamus accidere; sic italicae, latinaeque linguae studium instituendum arbitror, nihil ut alteri ab altero derogari patiamur. *Detur utrique, quod utrique debetur* (*Laudatus Car. Sigonius*). Si enim latini, italicique sermonis studium cum caeteris quoque studiorum generibus conjungatur, mirum quantum litteraria Respublica efflorescat. Jure igitur et egregie Joseph Rinaldus in Seminario quondam Patavino studiorum praefectus deque latinis litteris optime meritus: » Nullae sunt usquam Academiae, nulli doctorum hominum » coetus, nulla gymnasia, ubi jure quodam suo » (latina lingua) non consistat, tanta cognatione » cum bonis artibus et disciplinis conjuncta » quantam variis temporibus eadem utrobique » fortuna indicavit. Neque enim in illa exitiali » Barbarorum irruptione concidere Latinitas potuit, quin omnes omnino litterae eadem clade » interirent; nec istae, reddita Italiae pace, excitari potuerunt, quin ea continuo renasceretur, » et una cum aliis artibus ad pristinam dignitatem assurgeret. » (*Orat. I. de Ling. Lat.*). Post auream illam, viri ornatissimi, Augusti aetatem sensim, quod omnes norunt, tum latinae linguae

294

puritas, ac vigor infici, et languescere coepit, tum omnium exinde studiorum splendor inobscuratus est, donec tandem posterioribus saeculis, irrumpentibus undecumque in miseram ac laceratam Italiam barbarorum colluvionibus, non modo a clamoribus exercituum, a Civitatum incendiis, ab armorum fragore, a praeliorum sanguine, ab oppidorum direptionibus, cladibus, luctu, ruinis pulsae undique, et accisae litterae, quô confugerent, locum non reperiebant, sed etiam barbarorum Regum, Attilaeque praesertim edictis ita exulare cogebantur ut, densissima statim tenebrarum caligine undique circum diffusa, nihil nisi scythica feritas, inscitia, barbaries, horror ante oculos miserrime obversaretur. O felix, illustre, atque inclytum XVI saeculum! Vix dum fulgentissimum formosi vultus tui splendorem tu procul ostendere, aureumque caput inter immensam saeculorum seriem extollere coepisti, jam diuturna horrendae illius noctis discussa caligine litterariam Rempublicam, universumque orbem clarissima lux oborta perfudit. Jam sagax quidam, et rectum verae, minimeque fucatae pulchritudinis studium se se latissime diffudit, omnia liberalia studia pervasit, vitalem cunctis

Digitized by Google

vim indidit, suavissima venustate decoravit. Jam recte Grammaticus docere coepit, optimisque praeceptionibus adolescentes imbuere; ecce statim Calepinus (3), Nizolius, Erasmus: eloquenter dicere coepit Orator; ecce statim Sadoletus, Sigonius, Muretus, Lollius: suavissime canere coepit Poeta; ecce statim Sannazzarus, Flaminius, Vida, Fracastorius, Areostus, Tassus: sapienter disputare coepit Philosophus; ecce statim Contarenus, Copernicus, Tyco, Clavius, omniumque longe princeps Galilaeus (4): pie, docteque Theologus, eruditissime, diligentissimeque Historicus, atque Eruditus; ecce statim Cajetanus, Aestius, Canus, Panvinus, ecce Guicciardinus, Macchiavellus, Jovius, Bentivolius, Turnebus, Buddaeus excelluerunt. Atque dum Victorius, Sadoletus, Longolius, Manutius, Maffejus, Muretus aureum Augusti saeculum elegantissimis latinis scriptis revocant (5); dum Bembus, Casa, Castilionus, Molza, Bonfadius, Annibal Carus Italicam, quam vulgo loquimur, linguam expurgant, adaugent, exornant, et utriusque sermonis cognitione ita excellunt, ut utra laude praestiterint, ambiguum posteris reliquerint; dum caeterarum quoque liberalium artium Magistri Periclis excitant sae-

296

culum; omnes simul doctissimi, clarissimique viri saeculum Leonis X immortalis gloriae splendore signant, commendant, illustrant. Quorsum vero haec omnia, viri ornatissimi? Ut intelligatis si latinae linguae studium sedulo cum aliis conjungatur, si probe excolatur, etiam caetera studia efflorescere; sin minus, etiam illa deficere oportere. Quam quidem calamitatem prope fuit, ut miserrime non multis abhinc annis experiretur Italia, cum turbulentissimo illo Reipublicae nescio cujus, ac male sane libertatis tempore prisca illa barbarorum, Gothorumque saecula referente publicis edictis omni prorsus latinitatis studio aqua, ut ita dicam, et igni interdictum est. Tu, Ugo Fuscule (6), tu celeberrime, ac feliciter audax Dircaee Cycne, litteratis omnibus tibi uno ore plaudentibus, simul et latinae linguae atque Italicae vicem lugubri carmine doluisti, et causam invicto animo suscepisti. Sed bene, quod faventibus Superis, nec votis tuis in irritum cedentibus, Fuscule, meliora deinde subsequuta sunt tempora, donec tandem ad praesentem usque diem nobis pervenire est datum, quo cum optime sunt caetera omnia ad rectam rei publicae moderationem instituta, atque caute ad-

Digitized by Google

ministrata, tum illud est sapientissime a Magistratuum sollicitudine provisum, ut in quibuscumque publicae institutionis Gymnasiis et semper latini sermonis studium diligenter excolatur, et quotannis sub ipsum scholarum finem ab iis superioris humanitatis discipulis, qui prae caeteris excelluerint, publicum tum italici, tum latini sermonis specimen vel metro vel soluta oratione exhibeatur. Quod si tantam litterariae Reipublicae utilitatem parit latinae linguae usus, quid est, studiosi adolescentes, jam nunc enim, jam mea vos praecipue compellabit oratio, quid est, quod vos, quominus toto pectore latinitatis studio vacetis, impediat? » Cui enim Genti (in-
» quit antea laudatus Joseph Rinaldus) latina
» lingua Italae parens, magis est commendata,
» quam nostrae? Quis porro in intima ejusdem
» adyta penetrare fidentius potest, et nativam
» illius gravitatem, copiam, vim, numerum, e-
» legantiam, sonum denique ipsum facilius asse-
» qui, aut imitari? » (*Orat. I. de Ling. Lat.*). Exterae quidem nationes nonnullae hujus possessionem laudis tamquam a nobis pro derelicta habitam invaserunt, jamque non sine aliquo Italici nominis contemptu latini sermonis usum, et in-

29

telligentiam migrasse ad se, relicta vetustissima Sede sua Italia, audacter gloriantur. Doleo profecto et indignor, quoties audio Scythas ipsos nonnullos, Hunnosque praesertim si minus eleganter, recte saltem, expediteque cum Italis hominibus latine colloqui, nostros vero homines, et quidem aliquos interdum, qui litteratos se videri volunt, sibique sapere videntur, magno cum dedecore nec intelligere, nec respondere quicquam posse, dum sibi illi interea mirifice plaudunt, Italorumque gloriae non immerito insultant: absit ut hanc illis laudem invideam, sed certe de nostri gloria nominis sollicitudinem non ducere summum nefas arbitror. Doleo profecto, et indignor, quoties reputo, quae laus nostrâ, ac patrum memoriâ propria semper Italorum fuit, ut uni ex omnibus gentibus latina lingua peritissime, eleganterque uterentur, eam modo ita obsolevisse, ut jam, demptis fortasse paucis tantummodo quibusdam senibus, qui eam adhuc utcumque sustinent, fere nullus praeterea vera latini sermonis intelligentia praeditus reperiatur. Doleo profecto, et indignor hanc tantam indignitatem non aegro animo ferre studiosos adolescentes, neque omnes industriae suae nervos contendere

ut si qua a nobis in hoc genere suscepta est macula, deleant, ac vetustissimam pristinae dignitatis gloriam recuperare conentur. Excitamini, excitamini, adolescentes, ab altissimo isto, in quo sepulti jacetis, veterno, et si quid in vobis italici sanguinis, si quid ingenitae virtutis est, assiduam, diligentissimamque date operam, et manibus pedibusque, quod dicitur, contendite, ut quae gloria vestri generis, ut dixi, ac nominis propria est, eam recuperetis, recuperatam retineatis, retentam amplificetis. Consulite vobis, consulite litteris, consulite scientiis, consulite Italiae, consulite patriae. Mihi credite, si socordià atque ignavià omnino valere jussis opus istud strenue urgere instituatis, polliceor vobis, mihi, litterariae Reipublicae, sine dubio fore, ut omnis brevi pristinae gloriae dignitas, quae vel amissa, vel obscurata est, restituatur. Si utilitatem quaeritis, quid utilius? Si voluptatem, quid jucundius? Si honestatem, quid laudabilius, quid gloriosius? praesertim cum si quis latinae linguae intelligentissimus lucubrationes suas in lucem edat, non solum a gentis suae eruditis, sed ab omnibus fere orbis terrae litteratis cognosci, commendarique possit: nec dum enim penitus apud

Digitized by Google

omnes cujusque nationis litteratos viros latinitatis studium obsolevit. » Tenete igitur, utar verbis clarissimi viri antea laudati Caroli Sigonii (*Ibidem*), tenete antiquam latinae linguae possessionem, nobilissimi adolescentes, atque in hoc studium toto pectore incumbite, ne ad exteros, ut jam Imperii, sic linguae Romanorum gloria transferatur. Neque enim ulla alia vel pristinae libertatis, vel antiqui decoris, vel veteris dignitatis Italiae extant vestigia, quam honestissimum ejus linguae, qua quondam universo terrarum orbi jura praescripta sunt, patrimonium, quod ipsum non diligenter custodire inertiae culpa, non custoditum dissipare, profligatae cujusdam socordiae vitium esset. »

ADNOTATIONES.

---

(1) De dignitate Latini Sermonis videsis Bottam in praefat. ad Hist. Ital. quae subsequitur Historiam Guicciardini: et Perticarium: *Degli scrittori* del 300. lib. I. cap. VI. ubi vocat latinum sermonem *divina favella*, et cap. VIII. ejusdem libri, et alibi.

(2) Sic loquitur quoque Clariss. Vincentius Montius in epistola ad Xaverium Bettinellium: (*Joseph Maffejus Hist. litter. Ital. lib.* 6, *cap.* 4). Se il Gianni rinunciando alla ciurmeria dell' improvvisare, siccome io stesso mille volte lo consigliava, si fosse dato allo studio dell' idioma latino, primo elemento del linguaggio poetico, onde formarsi uno stile casto, e severo; se mandando al diavolo quello strano suo Young, in cui erasi innamorato perdutamente, si fosse accostato alquanto alle scienze, e a quelle particolarmente, che hanno immediati contatti coll' eloquenza, e senza le quali i voli della fantasia non riescono che delirj; il Gianni confortato di buona filosofia, e di stile non convulso, non matto, avrebbe potuto cogliere senza contrasto uno dei più scelti allori del Parnaso Italiano.

Videndum etiam egregium opusculum Faustini Gagliuffi, cui titulus: Specimen de fortuna Latinitatis. Augustae Taurinorum, 1833, ex officin. Favale: cujus operis

302

laudes videri possunt in (*Bibl. Ital. tom.* 74, *N. ccxxi. anni* 1834. *Mense Majo. Parte* 2, *pag.* 241).

(3) Tametsi Ambrosius Calepinus saeculo potius XV. quam XVI. accensendus videatur, attamen cum dictionarium ejus primum in lucem prodierit anno 1503 juxta Ladvocat, vel anno 1504 juxta opinionem Laurentii Berti, et ipse demum juxta eorundem scriptorum supputationem anno vel 1510, vel 1511 obierit, nullius me ingentis anachronismi nomina insimulari posse arbitror si Calepinum saeculo XVI addixerim, praesertim quod nullo alio magis, quam eo ipso tempore litterariae Reip. universae ejus nomen innotuerit.

(4) Verius equidem et Galilaeum saeculo XVII quam saeculo XVI assignari oportere aliquis dixerit; Verum eum saeculo XVI ad exitum vergente sit ortus, et anno 1592 Patavii magno omnium plausu Mathesim sit professus, profecto censui XVI saeculo hoc ipsum ornamentum, ac lumen non denegandum. Non ea mihi mens, ut historicorum modo cujusque clariss. viri aetatem notem, sed tantum ut oratorio more, pinguiqua, quod ajunt, Minerva agens mendax saltem ne videar.

(5) De Dante, Petrarca, et Boccacio mentionem non habuimus, quod ad saeculum XIV pertineant, quo saeculo, si tres hosce principes viros et vere litterarum Italicarum parentes excipias, sapientissimos alios et his pares haud sane multos, seu potius nullos reperies. Siluimus et de Politiano, qui saeculo XV vixit: omnes tamen hosce viros latinitatis fuisse peritissimos satis eorum scri-

Digitized by Google

pta declarant. Medium autem aevum his duobus saeculis non longe aberat ab exitu.

(6) Fusculi carmen. Per la sentenza Capitale proposta nel gran Consiglio Cisalpino contro la lingua latina è il Sonetto che comincia:

Te nudrice alle Muse, ospite, e Dea ec. ec.

Così Paride Zajotti: *Letteratura giovanile.* » Che » se circostanze, cui sforza la carità della patria a ta- » cere, rendessero troppo malagevole il conseguimento » della greca favella, sarebbe poi troppo vergogna che » immemore d'ogni sentimento nazionale la parte più » eletta della gioventù Italiana non si curasse nemmeno » di comprendere le voci ancora superstiti di quel nobile » idioma, col quale i nostri maggiori nella gloria di tre- » cento e venti trionfi dettarono leggi all'universo dalle » grotte di *Fingallo alle mura di Babilonia.*

Così parlano gli assennati uomini e veri amatori dell'onor nazionale. Tuttavia nel 1848, si trattava da alcuni caldi amatori del bene e dell'onor della patria di far rinnovare il decreto del bando dello studio della *Latinità* proposto ai tempi della repubblica Cisalpina.

Digitized by Google

Ad majorem susceptae disputationis confirmationem juvat iterum referre auctoritatem summi viri Vincentii Montii in epistola, quam scripsit olim eximio Professori deque latinis Musis ac litteris bene sic merito, ut qui maxime, Francisco Philippio, qui, qua est in me et in omnes litterarum studiosos humanitate cum libenter eamdem epistolam ipsâ clarissimi auctoris manu exaratam mihi inspiciendam nuper praebuit, tum vero non gravate annuit, ut hoc loco publici juris facerem, praesertim quam editam cum aliis ejusdem epistolis fuisse non satis constat: qua de re multam a me illi gratiam habendam fateor.

ALL' EGREGIO SIGNORE

IL SIG. FRANCESCO FILIPPI.

Castelfranco.

Pregiatissimo Signore.

Milano 20 *Marzo* 1823.

Per una rinnovata oftalmia mi è vietato lo scrivere: ma questa volta il divieto è vinto dal dovere della mia gratitudine.

Ho letto, o per meglio dire mi son fatto leggere da chi sa la bella vostra versione latina di alcune mie inezie poetiche, che io solea chiamare i delitti della mia giovine Musa, e disconfessarle per mie. L'elegante vostra traduzione mi ha riconciliato con esse; ed io ve ne rendo quelle grazie che renderebbe un padre a chi gli racquistasse un figlio perduto.

Mi annunziate di aver volto l'animo alla versione della Bassvilliana. Vi sia noto che un' altra n' è già pubblicata,

lavoro d'un valente alunno del celebre latinante Padre Solari Genovese. Se vi aggradisce l'averla, mi adoprerò di trovarla e inviarvela. Ma perchè perdere il felice vostro ingegno in far onore a povere poesie? A me non torna conto il disingannarvi; ma la stima che ho concepita di voi non mi permette di lodare l'impresa a cui vi mettete. L'amor mio proprio vuole al contrario che io ve ne ringrazj; e questo fo volentieri.

La mia debole vista non mi concede andar più oltre colla presente. Fo dunque fine pregandovi d'avermi nel numero de' vostri amici e di credere sincera la lode che ho dato, e tutti dan meco ai vostri versi. State sano, e *macte animo* a richiamare col vostro esempio gl' ingegni alla classica severità degli studj latini, senza i quali la poesia italiana non può venire in qualsiasi fantasia alla debita perfezione.

Il vostro Serv. ed Amico
V. Monti.

P.S. Non prima dello scorso sabbato ho ricevuto le vostre stampe. Ciò sia detto a discolpa del mio tardo riscontro.

N.B. I due versi riportati alla pag. 30, lin. 13, sono versione del Gargallo: e la versione dell'Epigramma Greco alla pag. 34, 35 è di autore anonimo.

Digitized by Google

VOLGARIZZAMENTO.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARECCHIE SORTA DI STUDII
RICERCANO LA COGNIZIONE DELLA LINGUA LATINA,
NIUNA È CHE NON NE RISENTA UN VANTAGGIO.

Io m'avviso, onorevolissimi e dottissimi Signori, niuno poter ignorare, che o per natura, o per disposizione di non so quale destino, suole avvenire, che siccome in tutte altre cose, così in ispezieltà negli studii delle lettere e delle arti belle ciascun secolo sia sempre da proprie peculiari costumanze contrassegnato. Sappiamo, che un tempo i Greci, autori di ogni coltura e gentilezza, ora fiorirono negli studii delle lettere, ora in quelli della filosofia, ora nell' uno insieme e nell' altro genere di gloria sfolgorarono. Quanto poi non fu svariata e molteplice secondo la varietà de' tempi e de' secoli in fatto di letteratura e di liberali studii l' industria de' Romani! Sulle prime que' Romani antichi siccome per la disciplina delle armi, per la gravità de' costumi, per

310

